

05

A

2050





IN NOMINE JESU,  
PASCHALIS κεφαλῆς & ἀρχῆς!  
RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,  
MICHAEL  
SENNERTUS,  
MEDICINÆ DOCTOR, EJUS-  
DEMq̄; PROFESSOR PUBLICUS,  
ET COLLEGII MEDICI  
SENIOR,  
*CIVIBUS ACADEMICIS*  
DONORUM ET BENEFICIORUM  
PASCHALIU  
PRIMITIAS SANCTISSIMAS,  
ET  
MESSEM BONORUM COPIOSISSIMAM  
PRECATUR!

---

WITTENBERGÆ  
Typis JOH: BORCKARDI, Acad. Typogr.



*Primitia dormientium* Christus, *Primitia re-  
viviscentium* Christus, *Primitia resurgenti-  
um* Christus! *Mysterium hoc Paulus Aposto-  
lus, Paschaliū arcanorum, & beneficiorum*  
Doctor accuratissimus, nobis exponit I. Cor.  
XV. 20. *Si in hac vita tantum in Christo spe-  
rantes sumus, miserabiles sumus omnibus*  
*hominibus: Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, PRIMI-  
TIÆ DORMIENTIUM. Quoniam enim per Hominem Mors, &*  
*per Hominem Resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes mor-  
riantur, ita & in Christo omnes VIVIFICABUNTUR. Ususquisq;*  
*autem in suo ordine, PRIMITIÆ CHRISTUS. Deinde hi, qui sunt*  
*Paschaliū Mysteriorum concursus cernitur, ingens beneficiorum*  
*paschaliū pelagus hic effunditur, inscrutabilis paschaliū delicio-  
rum abyssus mirabiliter aperitur. O altitudo, ô magnitudo, ô*  
*multitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI paschalis, quam in-  
comprehensibilia sunt iudicia, vel indicia Resurrectionis, merito cum*  
*eodem exclamamus Apostolo, Rom. XI. 33. Mittamus nunc alia, nu-  
mero non exiguo nobis hic indicata mysteria, meditationes no-  
stras ad Primitias saltem paschales convertamus. Usus certe primitia-  
rum antiquissimus, & inde statim à rerum primordiis usitatus: De*  
*primitiis frugum terræ Cain, de primogenitis gregis Abel sacrificia*  
*per fidem offerre debuerunt, & voluerunt, & hæc prima totius sa-  
cræ scripturæ sacrificia Gen. IV. 4. Hic autem usus antiquus certe*  
*divinissimus extitit. Non enim citra mandatum, & institutionem*  
*DEI sacrificia hæc oblata fuerunt. Frequentissima primitiarum*  
*in lege divina mentio, multisq; pariter in locis primitiarum inveni-  
tur sanctio, sicut passim in Exodo, Levitico, Numeris, Deuterono-  
mio, vel aliis scripturæ libris videre licet. Loca nulla producimus,*  
*cum de primitiis vel in genere, vel de ceremonialibus agere, modò no-  
stri non sit instituti. Sicigitur usus primitiarum deniq; fuit religi-  
osissimus, divinisq; cultibus, & aliis sacris actibus consecratus. In-*  
ter



05 A 2050

ter alias Veteres habuerunt suas *Primitias paschales*, & *primitias etiam Pentecostales*: illa messem præcedebant, hæ sequebantur, illa frugum erant maturescentium & colligendarum, hæ frugum post messem concurrentium, vel collectarum, illa testimonia messis mox subsequutura, hæ signa messis præterita, illa spei certioris, hæ debita gratitudinis symbola fuerunt, illa festo paschali, hæ festo Pentecostali sunt oblata: plures hic differentias recitare volumus, nec etiam *typicas primitiarum & paschalium, & pentecostaliū figurarum* explicare, vel applicare volumus. *Christum paschalem Victorem*, potius, tanquam *Primitias optimas*, devote respicimus, & in *Oraculo Paulino* plena fide conspicimus. Mira certe sunt, quæ dicit *Paulus*, imo profus admiranda, & captum humanæ mentis superantia. *Christum* vocat ἀπαρχὴν τῶν νεοκαιμηθέντων, vel *primitias illorum, qui obdormiverunt*. Num hoc *veritati divinae*, vel *scripturæ sacræ*, vel *experientiæ perpetuæ Veteris Testamenti*, consentaneum? Nonne *Catalogus integer Patriarcharum antediluvianorum Gen. V.* recensetur eorum, qui in Domino per beatam analysin obdormierunt? Nonne *Jacob Josepho* dicebat *Gen. XLVII. 30. Dormiam cum Patribus meis, & auferas me de hac terra, condasq; me in sepulchro majorum meorum?* Nonne *Jehova Deus ipse Moysi* dixit: *Ecce, tu dormies cum Patribus tuis Deut. XXXI. 16.* Nonne *David I. Reg. II. 10. Salomon. c. XI. 4.* & passim alibi, pii *Reges cum Patribus suis dormivisse* perhibentur? Miræ certe *primitia*, quæ, post tot seculorum messem copiosam, denum, *primitiarum instar*, introducuntur! Si tot millia, vel etiam millena millia plurima, *dormientium Christus* ante se vidit, quomodo *Paulus dormientium primitias* in *Christo* videre, vel etiam observare potuit? *Ultimum* fere quod est, *primum* appellari nequit. Post messem ingentem introducere *primitias*, ordinis inversi videtur. Sed res omnis expedita dicitur, modo *primitiarum typicarum rationem paulo penitius* introspectiamus. Certe *primitia* discernebantur à reliquis frugibus, non ἀπλῶς, sed σχετικῶς, non omni, sed aliquo respectu. *Natura primitiarum* diversa non erat à reliquis frugibus; ex eodem agro, ex eadem frumenti specie *primitia* Deo consecrabantur, & reliqua facta post in usum hominum congregabantur. Neq; ratione *semenis* ulla disparitas apparebat. Idem *semenis tempus*, idem *ejusdem*

*actus, & in primitiis, & in aliis fructibus terræ fuit. Sementis alia primitiarum, alia decimarum, alia frugum, non extitit. Nec quoad exortum ullam diversitatis, vel prerogative rationem admittebant. Exortus communis erat totius segetis, ex qua Deo primitiæ destinabantur. Et multis aliis respectibus erat inter primitias, & reliquas fruges nulla distinctio. Discernebantur autem à reliquiis sui generis frugibus primitiæ peculiari quodam ἀφορισμῷ, dum à residuo frugum maturefcentium primitiæ separabantur; peculiari quodam ἱσθασμῷ, dum ad institutum Dei solenniter offerebantur; peculiari quodam ἀγιασμῷ, dum ipsi Domino, tanquam Sancto sanctorum, & sancto Sacerdotio consecrabantur, & his mediantibus universa frugum seges, vel metes, agri, horum Domini, familia ipsorum, cunctiq; vespentes frugibus, sanctificabantur, & ad continuam DEI benedictionem initiabantur. Ex quibus facile colligitur, quod Christus emphaticè Primitiæ dormientium appellatur, non equidem temporis, sementis, vel etiam germinis respectu: sed titulus ἀπαρχῆς illustris alium primarium respicit. Fuit Christus ἀπαρχὴ τῶν νεκρωθημένων singulari ἀφορισμῷ, in æterno Dei decreto, siquidem est ἀμνὸς ἀμωμῷ, ἢ ἀσπιλῷ, προσθυσμένῳ πρὸ καθάρσεως νόσου, agnus immaculatus & incontaminatus, præcognitus ante mundi constitutionem I. Pet. I. 19. 20. προωρισμένῳ, qui per manus & consilium Dei prædestinatus Act. IV. 28. ὁ Θεὸς οὐδὲ θεῶ, prædestinatus Dei Filius in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex RESURRECTIONE MORTUORUM, Rom. I. 4. & sic ab æterno per decretum Patris segregatus. Fuit ἀπαρχὴ τῶν νεκρωθημένων in communi dormientium in terræ pulvere commercio: magna dormientium in terræ pulvere seges erat, sed Primitiæ Christus: propter las primitias, Domino segregatas, tota seges, in agro Dei, Patri cœlesti grata fuit, siquidem de his segregatis primitiis ipse cœlitur dixit Matth. III. 17. Hic est Filius meus dilectus, ἐν ᾧ εὐδόκησα, in hoc omne beneplacitum fundatum: Christus ἀπαρχὴ τῶν νεκρωθημένων in spavissimo tum temporis obdormientium sodalitiis, sicut vel ex Latronis exemplo comparet, qui suaviter obdormire sub multis cruciatibus potuit, quia primitias has augustas verè, firmasq; fide respexit Luc. XXIII. 42. Præ-*

terea Christus ἀπαρχὴ τῶν κοιμηθέντων factus est peculiari θυσια-  
σμοῦ. In morte Patri fuit oblatus, ut sacrificium, ut ex ejus morte  
nobis contingeret mortis beneficium: Patri Funus ejus oblatum, ut  
ejus Funus nostrum esset sanus, imo nostra mors etiam fieret l. 2  
erum, quia vita nostra Christus, mori nostrum lucrum Pbil. I. 21. O  
primitias oblationis excelsas, quæ cunctos in Christo reddunt ex-  
cellsos! O augustas hujus oblationis primitias, quæ benedictionem  
augustam nobis morientibus conciliant! O aternas oblationis pri-  
mitias, semel etenim per hanc oblationem in sanctum introiit, &  
nobis aternam redemptionem, aternam oblationem, invenit Heb. IX.  
12. Propter primitias oblatas multæ myriades aristarum pro obla-  
tis reputabantur: Christus, instar primitiarum, è dormientibus Deo  
fuit oblatus, & innumeræ myriades fidelium dormientium pro sacrifi-  
ciis oblati æstimantur. Mors Christi gratum Deo sacrificium: Mors  
fidelium pariter, ob harum primitiarum oblationem, acceptum DEO  
sacrificium! Deniq; Christus ἀπαρχὴ τῶν κοιμηθέντων paschali  
quodam ἀγίασμοῦ, siquidem non per sanguinem hircorum & vitu-  
lorum, sed per proprium sanguinem introiit semel in sanctum sancto-  
rum, aterna redemptione, aterna sanctificatione inventa Heb. IX. 12.  
Hujus sanctificatio nostra sanctificatio. Mors nostra fuit antea fada,  
nunc in his primitiis sancta. Mors nostra fuit antea propter pec-  
cata contaminata, nunc propter has primitias in Domino sanctifi-  
cata. Mors nostra fuit in peccatis ignominiosa, nunc autem in his  
sanctissimis primitiis vere gloriosa. O sanctas, verèq; sanctificantes  
primitias! O augustam hujus sanctitatis eminentiam, quæ candi-  
datis mortis infernalis ex infimis Erebi latibus trahit ad augusta  
celorum palatia! O immensam hujus sanctitatis efficaciam, quæ  
conciliat justitiam infinitam, & sedat iram aternam, & ex injustis  
justos, ex impuris puros, ex Diaboli filios DEI filios virtute divina  
generat! O innumerabilem hujus sanctitatis abundantiam, quæ  
cunctis peccatoribus sufficere valet, quia λῦσον ipse solvit pro nobis  
omnibus. Tim. II. 6. & propitiatio factus pro peccatis nostris, non pro  
nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi peccatis 2. Job. II. 4.  
O nos felices, si paschali hoc tempore cum his primitiis DEO segre-  
gamur, DEO sacrificamur, DEO sanctificamur! Nec desinent mysteria  
plura

pietas, si diutius elogio huic illustri liberet, & ob chartarum, & programmatum angustiam inhæere liceret. Si Christus tempore non est ἀπαρχὴ τῶν καρπῶν ἐβένου, origine tamen omni jure sic appellatur. Mors certe non somnus & quies, sed cruciatus & inquietus corruptis & damnatis hominibus extitisset, nisi Christus nostri causa mortis suæ primitias, ante magnam morientium & dormientium messem, divinæ justitiæ destinasset. Peccatores certe saltem morientes, nullatenus dormientes fuissent, nisi mirabilem horrendam mortis in spavensimum somnum conversionem hæc primitia paschalis conciliaissent. Mors erat ob varias nequitias omnium horribilissimum, sed ob augustas has primitias facta nunc omnium latibulum latibilissimum! O nunquam expectatam paschalem mutationem! O semper exoptatam paschalem permutationem! Centrum dormientium Christus est! Ex hoc centro tanquam è scaturigine, ducuntur omnes quietis lineæ per omnem peripheriam inde à primis in Domino morientibus, & scilicet dormientibus, usq; ad novissimos fideles. Cor dormientium Christus, ex quo mysticam Ecclesiæ dormientis membra cuncta vitam ducunt. Sed hæc, & alia persequi non licet. Primitia pariter ζωοποιθεῖων, vel vivificatorum, juxta laudatum Oraculum, Christus est: sicut, inquit Apostolus, in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes VIVIFICABUNTUR. Unusquisq; autem in suo ordine. PRIMITIÆ CHRISTVS, nim. ζωοποιθεῖτων, aut VIVIFICATORUM. Ex primitiis animabatur tota seges, tota messis, virtute divinæ benedictionis: Christus redivivus veras infert, & mystica, & gloriosa vivificationis primitias: Ipse ζωοποιθεῖς, & nos sumus ζωοποιθεῖτες. Qui mortificatus, idem ζωοποιθεῖς I. Pet. III. 18. ipse vita & resurrectio Joh. XI. 25. via, veritas, & vita c. XIV. 6. Ex ejus benedictione tota messis Ecclesia, seu fœderium, vivificatur. Fideles, non in se vivunt, sed fide Christus in ipsis vivit Gal. II. 20. Deniq; Christus ἀναστάντων primitiæ. Nam Christus resurrexit à mortuis PRIMITIÆ: quoniam enim per Hominem mortuos, & per Hominem, resurrectio mortuorum v. 20 21. Ipse ἀναστάντων ἐν γενεῇ Col. I. 18. Hinc recte Paulus infert: Si Christus ἀναστάντων resur-



resurrexit, & illi, quorum Christus ἀπαρχή, resurgens. Idem ex  
eo colligit *Crysol.* Hom. 38. ad 1. Cor. XV. v. 674. ἢ γὰρ ἀπαρχή  
τις; ἂν εἴη ἀπαρχή, εἰ μὴ τῶν ἑυεργετητῶν. Πῶς δ' ἂν εἴη ἀπαρχή  
ἢ τῶν ἑυεργετητῶν ἐκείνων, ἢ τῶν ἀπαρχῶν. Πῶς δ' ἂν εἴη  
ἑυεργεταί. Non igitur sui, sed nostris causa Christus primitia. Jus  
primitiarum catholicum erat, ex eo benedictionis fructus ad omnes  
homines, ad omnes agros, ad omnes segetes, ad totam Palaestinam se dif-  
fundebat: sic ad Ecclesiam totam, ad omnes fideles, ad omnium fidelium  
vitam, meditationes, locutiones, & quasvis eorum actiones, jus Primi-  
tiarum Paschalium extenditur. O quam lata differendi de paschali-  
bus primitiis hic esset occasio, si presentis instituti ferret id con-  
ditio! Paulus in hoc eodem loco nobis pulcherrimum ostendit  
illustrationis paschalium primitiarum compendium. Nam v. 20.  
& 23. CHRISTUS PRIMITIAE; sed v. 28. idem Christus paschalis,  
Dominus, OMNIA dicitur IN OMNIBUS. Quid abundan-  
tius, quid augustius, quid exoptatius dici potuisset? Non sibi, sed  
nobis OMNIA dicitur IN OMNIBUS! Quid hoc est, OMNIA  
PRIMITIAE CHRISTUS IN OMNIBUS? Verba legimus, verba  
paschalibus in Concionibus audimus, verba mente, memoriaq;  
concipimus. Rem etiam credimus, rem meditatione devota re-  
petimus, rem admiratione pia per veram fidem adpicimus, rem  
veneratione summissa humiliter suspicimus, sed considerandi modum  
nescimus, explicandi medium non invenimus. Cernimus tamen  
in his verbis PRIMITIARUM PASCHALIUM ingens mysterium,  
meditationum paschalium compendium, Concionum Paschalium  
summarium, divitiarum Paschalium abyssum. Tacere, quam lo-  
qui praestat. Non angelica, multo minus humana quicquam hic  
valet sapientia, nec humana, nec angelica quicquam hic audet  
eloquentia. Christus, paschales primitia, nostrae primitia, nostrae  
divitiae! Christus divitiae paschales nostrae pacis & quietis. Per has pri-  
mitias dormire, vel quiescere possumus, & in vita, & in morte.  
In vita nunquam bella piis, nunquam certamina desunt: vita no-  
stra perpetua militia Job. VII. 1. Labor & dolor Psalm. XC. 10,  
sed paschales primitia, Christus, nostra pax & quies Ephes. II. 14.  
Dormire possumus in Christo, Paschali victore, paschalibus pri-  
mitiis

*vitiiis*, etiam si laboremus in medijs Diaboli tentationibus, *desudemus* in medijs mundi persecutionibus, *pugnemus* in continuis carnis suggestionibus. In morte *quiescere*, in sepulchro *dormire*, veraq; *pax* frui possumus, quia *Primitie paschales dormientium* Christus adest. Christus *primitie paschales* *reviviscentium* nostræ *divitie*. O quam *magnas*, ô quam *multas*, ô quam *copiosas* hic conspiciamus *divitias*! Christus *nostræ* *vita*, *Phil. I. 21* *vita*, *veritas*, & *vira* *Job. XIV. 6* *vita* & *resurrectio*, *Job. XI. 25*. Christus *nostræ* *potentia*, possumus omnia per fidem in his, quæ nos confortant, paschalibus primitiis, *Phil IV. 13*. Christus *nostrum* *βάλημα*, dum *velle dat*, & *perficere pro bona voluntate sua* *Phil. II. 13*. Christus *nostræ* *paschalis energia*, sine qua nihil facere possumus *Job. XV. 5*. Christus, *primitie paschales* *resurgentium*, nostræ *divitie*, ut *resurgere* possimus hic à *malitia*, quo *resurgere* possumus etiam ad *gloriam*. Christus, *primitie paschales*, *A. & Ω. nostrarum divitiarum*! *Pauperes* simus *mundo*, ut *divites* siamus *Christo*, cum primis ita *primitias* hasce *paschales* pie meditemur, ut & *ipsi* siamus *primitie*! de cunctis nostris *meditationibus*, *sermonibus*, *actionibus*, *possessionibus*, *Victori* *Nostro* sistamus *Primitias* & *Decimas*, ut *pascha* nostrum rite celebremus! *Christus* in *Nobis* sit instar *Paschalium primitiarum*, & *nos* in *Christo* *primitiarum* rationem induamus. *Felix* hæc, & *vere paschalis* *refum commutatio*, si *Caput* inter & *membra* perpetua detur *relatio*, constans detur *congnatio*! Christus propter nos factus *primitie*, quanto magis nos propter Christum fieri debemus *primitie*. Sitis, O *NOSTRI*, *primitie paschales*, & cuncta *vestra*, *primitiarum* instar, huic *vestro Redemptori* destinatis! O quam *copiosa*, quam *benedicta* *vestra messis* erit! Properate proinde *Nobiscum*, *OPTIMI CIVES*, *ANIMÆ PASCHALES*, ad *sepulchrum* *Christi* *Victoris*; quod est *Altare Domini*, properate, *Ministrisque Verbi munera liberalitatis*, instar *primitiarum gratitudinis*, cumulate, ac inde *messem copiosam* ex *benedictione Domini* fiducialiter expectate! P. P. In  
*Vigilia Paschali Witteb. Anno M DC LXXXII.*

Handwritten text on the left edge of the page, including letters like 'r', 'a', 'g', 'o', 'a', 'p', 'd', '7', '9'.


05 A 3050

ULB Halle 3  
003 791 556  


1077







Farbkarte #13

B.I.G.

IN NOMINE JESU,  
 PASCHALIS Κεφαλῆς & Απερχῆς!  
 RECTOR  
 SCHULE WITTEBERGENSIS,  
**C H A E L**  
**N N E R T U S,**  
 HONORARIE DOCTOR, EJUS-  
 DEMQUE PROFESSOR PUBLICUS,  
 HONORARIUS COLLEGII MEDICI  
 SENIOR,  
 CIVES ACADEMICIS  
 HONORARIIS ET BENEFICIORUM  
 PASCHALIUUM  
 HONORARIAS SANCTISSIMAS,  
 ET  
 HONORARIAM BONORUM COPIOSISSIMAM  
 PRECATUR!

---

WITTENBERGÆ  
 JOH: BORCKARDI, Acad. Typogr.

